Ludowicus dei gracia Romanorum Imperator semper augustus Prudentibus viris et discretis .. magistris consulum consulibus et uniuersitati ciuitatis Lubicensis suis et Imperii fidelibus dilectis graciam suam et omne bonum. Constituti coram nobis honesti viri .. ciues Tremonienses suis quam nominis nostre clemencie seriosius proponentes. Quod vos in derogacionem libertatum ipsis per predecessores nostros diuos Romanorum Imperatores et Reges datarum concessarum aureaque bulla felicis recordacionis Friderici secundi Imperatoris bullatarum, quod eciam sic nobis constat, ab ipsis contra concessionis et donacionis huiusmodi debitum theolonium recepistis, et ab ipsorum nunciis recipi permittatis. Unde cum dicti nostri ciues Tremonienses tante liberacionis priuilegio, quod et nos ipsis temporibus nostris aurea bulla bullatis confirmauimus, sint vel fuerint liberati, quod ipsos eadem uti sua sine libertate volumus sine contradiccione qualibet et gaudere. Inhibentes vobis et singulis aliis et sacro Imperio subiectis nostri fauoris et gracie sub obtentu, quod vos nec alius contra predicte concessionis et libertacionis nostreque confirmacionis graciam theolonium ab ipsis aut ipsorum bonis recipiendo venire quolibet audeat aut presumat. Datum Monaci in die sancti Augustini Regni nostri anno decimo octauo Imperii vero quinto ..

Cop. W. J. 1863.

Hergestellt in der photographischen Abteilung
des Städt. Vermessungsamtes Dortmund.

1332 Aug. 28.
St. A. Dortm. Nr. 253
gedr. D. U. B. I, 490a

rückseits aufgedrückter, beschädigtes rotes
Sekretsiegel.